

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ma fuit, tamen postquam vi derineor, parendum necessitati, & Deo ac tempori causa tota committenda est. Dux Ulricus Megapolensis, in cuius comitatu Augusta vixi, nondum in hanc ditionem rediit. Legatus Imperatoris Felix ad Hasfenprin, inferioris Lusatiæ præfectus, superiori hebdomada Lubecam venit, ubi civitates Anza conventum agunt, & post paucos dies ad nos accessurus esse dicitur, ut inter Principes Megapolenses & hanc civitatem transigat.

Inter Danos & Suecos terra marique bellum geritur. Nihil vero ἀξιόλογον adhuc egerunt, nisi quod Suecica Classis 68. naves Hollandicas commeatu onustas interceptit & in Sueciam duxit.

Terrestres Danorum exercitus intra fines Sueciæ jam grassari incendiis dicitur. DEUM oro, ut his regionibus, quæ societate ejusdem de Deo confessionis, in iis præcipuè articulis, qui jam controversantur, cum vestra Ecclesia conjunctissimæ sunt, Pacem & tranquillitatem salutarem restituat. Bene vale. 23. Julii, Anno 1566.

Hæc, ut mecum acta sunt, eandide & ingenue vobis, tanquam amico & patri, significo. Ac opto, ne quid gravioris periculi mihi ex eo, vel isthic, vel apud Principem meum oriatur. Ideo provideri aliqua ex parte nostra etiam prudentia & fide poterit.

David Chytræus.



CIX.

S Absente D. D. Sulcero, clarissime Vir, posteriorem partem responsionis repetebas statim, percurri sedulo, quantum per occupationes licuit. Ac licet in hac re ego meam infantiam agnoscam, tamen, quæ pia sunt, amplector merito, qualia in hoc tuo libello plurima contineri fateor. Etsi autem allata argumenta scripturæ sacræ, patrumque orthodoxorum testimoniis comprobata, nunquam curiosis & pertinacibus satisfacere possint, lectoribus interim bonis ingrata non erunt. Multa quæ hætenus aut obscura, aut male intellecta fuerunt, clarius in lucem proferuntur, vindicata majestas DEI filii, non secundum divinitatem, de qua nemo dubitavit, sed quantum concernit assumptam in unam personam humanitatem Christi. Unum verò, velim te diligenter observare, ne per omnia hanc illi æqualem statuas, quando neque veteres neque recentiores, meo judicio, hoc unquam asseruisse conati sunt. Et quamvis utriusque naturæ, in utroque sædere, mentio sæpe fiat, tamen quam distincte, quantoque discrimine, ipse nosti. Loci, qui loquuntur de exaltato Christo homine, de potestate accepta omnium, quæ in

Fi s

cælo

cælo & terra sunt, & quod omnia impleat, ac qui sunt hujus generis, nihilominus majestatem, dignitatem ac potentiam Christi declarant, etiam si non eo torqueantur, quasi divinam in naturam plane transiverit humana, sitque hæc ab illa quasi absorpta. Neque etiam impedit differentia servata, secundum proprietates singularum, quo minus ubique in cœna præsens esse queat is, qui hoc voluit atque promisit, modo nobis incognito, interea certo veroque. Quæ ego ideo moneo, ne dum pars adversa annihilare videtur hominem Christum, neque potiorum Petro aut aliis sanctis habere, pars nostra in alterum nimium declinet latus. Quantum Sylvanum, hominem amarulenti ingenii & sermonis attinet, habes quidem justissimas causas, cur paria regeas convicia, bilem iramque effundas, maxime dum suis libellis Ecclesiam Argentinensem labefactare conatur, in qua d. te Pastorem & Episcopum constituit, si carnem ejusque opera spectes, sed cum te hinc avocet ac dehortetur S. Paulus Gal. V. ostende passim, te non tuam, sed Christi causam agere, fructusque spiritus proferre. Porro cum in Epistola tua etiam D. Grynei fecisses mentionem, transmisi (abest enim) scriptum & ejus sententiam petii, quam ad me scriptam hic inclusi, ut legeres. Veniet ad vos D. D. Sulcerus, nisi jam sit, cum quo licebit plura conferre, quem salutabis cum omnibus fratribus ac Professoribus, imò tota inclita Argentina. De rebus novis quid scribam, non habeo, nisi pestem in Valesia, Rhetia, Constantiæ, Bernæ accirca Tigurum vehementer grassari. Vale, Basileæ, Anno 66. Augusti 27.

P. T. deditiss.

Huldricus Coccius.



CX.

Salutem in Christo Salvatore. Reverende

Vir, frater observande.

STATUM Ecclesiæ & Scholæ vestræ DEI beneficio præclare bene & pie constitutum esse, ex animo gaudemus, illumque & apud nostros & apud alios prædicamus, suosque sumus parentibus, ut liberos suos ad vestram scholam erudiendos mittant, cum de puritate doctrinæ, quæ in vestra Ecclesia sonat, nobis constet. De nostro igitur consilio Johannes Lentius, collega noster, filium suum, bonæ spei adolescentem, ad vestram etiam scholam capiendi uberioris ingenii cultus gratia mittit. Et à me petiit, ut aliqua commendatiuncula filio suo aditam ad reverentiam tuam pararem, quia intelle-

xii.